



## Universitätsbibliothek Paderborn

**Manvale, sev Institvtio Sacerdotvm, Ex Divinis Litteris Et  
Vetervm Patrvm Disciplina**

**Torres, Alfonso de**

**Ingolstadii, 1604**

XIX. Ne profanis vestibus induatur Sacerdos: ne ferat anulos: ne comam,  
aut barbam nutriat.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48973](#)

CAPVT XIX.  
**NE PROFANIS VE-**  
**STIBVS INDVATVR**  
**SACERDOS:**  
**NE FERAT ANVLOS,**  
**NE COMAM NVTRIAT,**  
**A VT . B A R B A M.**

## SVMMARIVM.



MICTVS corporis est index interioris homi-  
nis. 1. 12.

Puniuntur à Domino, qui peregrina vesti  
induuntur. 2.

Qui mollibus vestiuntur, in domibus Regum sunt. 3.  
Sacerdotum cultus nimius in vestibus reprobatur. 4.  
Sæcularibus, aut profanis vestibus indui non debent,  
nec alicubi esse sine opérimento, ac de pœna trans-  
gressorum. 5. 6. 7. 8. 9. 10. 11.

De coloribus, qui Clericis interdicuntur in vestibus, deq;  
aliis superfluitatibus, ac de anulis. 7. 9.

Quid de vnguentis. 9.

Quid de calciamentis. 10.

Clerici arma ferentes qualiter puniuntur. 10.

Clerici nec comam nutrient, nec barbam: alioqui ab  
Archidiacono tondendi. 14. 15. 16.

Coro-

corona in modum sphaeræ radenda. 16.

Ornatus, & fōrdes pari modo fugienda. 13.

Tunica Sacerdotalis quæ. 5.

Epitimum quid. 9.

**A** MICTVS corporis, & risus dentium, & ingressus hominis enuntiant de illo. Eccl. 19.

Visitabo super omnes, qui induiti sunt ueste peregrina. Soph. I.

Qui mollibus uestiuntur, in domibus Regum sunt. Matth. II. i.

Sacerdotum cultus nimius in uestibus reprehobatur.

CERNITVR in nonnullis Sacerdotibus vestium 4  
cultus plurimus, virtutum autem nullus, aut exiguis. Quibus ego si rememorem illud Apostolicum: Non in ueste pretiosa, vereor, ne indignen-  
tur, dum nimirum indignum ducant in se afflum-  
ptam sententiam, quam prius in viliorem sexum,  
& ordinem, prolatam fuisse recognouerint. Quasi  
vero non eodem vtantur medici ferro secandis  
Regibus, quo & popularibus hominibus, &c. At-  
tamen, si indignantur pari cum mulierculis non  
quidem à me, sed ab Apostolo feriri sententia, de-  
dignentur & cum ipsis eadem inuolui culpa, &c.  
Verum tu, Sacerdos Dei altissimi, cui ex his place-  
re gestis, mundo, an Deo? Si mundo, cur Sacerdos?  
Si Deo, cur, qualis populus, talis & Sacerdos? &c.  
S. Bernard. ep. 42.

Cleric-

Clerici sacerdotalibus vestibus non vtantur,  
nec alicubi sint sine operimento: ac  
de pœna transgressorum.

**5** PRESBYTERI, & Diaconi sacerdotalibus indu-  
mentis non vtantur nisi, vt condecet, a tunica Sa-  
cerdotali: sed neque, dum ambulauerint in ciui-  
tate, aut in via, aut in plateis, sine operimento præ-  
sumant ambulare, præter, si in itinere longo am-  
bulauerint: quia, sicut mulier orans in Ecclesia

**1.C. ii.** non velato capite deturpat caput suum, iuxta Apo-  
stoli vocem; ita Sacerdos sine operimento detur-  
pat Sacerdotium suum. Quod si temere præsum-  
pserit contra statuta agere, communione priue-  
tur, donec, quæ statuta sunt, adimplere matureret.  
*Zacharias Papa 21.q.4.c. Episcopi.*

**a** Tunica Sacerdotali ] hæc est tunica talaris, hoc  
est, ad talos vsq; demissa vestis, ut notat Cardinalis. S.  
Sixti hic. Et illa debent vti Sacerdotes ex decreto Mar-  
tini Bracharen. dist. 23. c. pen. Vestis autem clericalis erat  
clausa, secundum gl. de consecr. dist. 5. c. dictum.

### De eodem.

**6** SINE ornatu Sacerdotali extra domos Sacer-  
dotes apparere non conuenit; ne, vt aliqui sæcu-  
larium, iniurias patientur: sed ea solum modo,  
quæ per Patres constituta videntur, obseruent.  
Contrarius deniq; inuentus, aut desinat, aut  
canonicæ subiaceat disciplinæ.

*Leo Papa 4.21.q.4.c.  
eod.*

Dc

Decodem: ac de coloribus, qui in clericis vestibus prohibentur, & aliis superfluitatibus, & anulis.

CLAVSA deferant desuper indumenta Clerici, 7 simia breuitate, vel longitudine non notanda. Pannis rubeis, aut viridibus, nec non manicis, aut rotularibus consutitiis, frænis, sellis, pectoralibus, calcaribus deauratis, aut aliam superfluitatem gentibus Sacerdotes non vtantur. Cappas maniculas ad diuinum Officium intra Ecclesiam non gerant, sed nec alibi, qui sunt in Sacerdotio, & personatibus constituti; nisi iusta causa timoris exegerit habitum transformari. Fibulas omnino non ferant, neque corrigias auri, vel argenti ornatum habentes: sed nec anulos, nisi quibus competit ex officio dignitatis. *Innoc. 3. de vita, & hon. Cler. cap. penult.*

Clerici honestum habitum non ferentes qualiter puniendi.

OMNES Ecclesiastice personæ, quantumcumq; g exemptæ, quæ aut in sacris fuerint, aut dignitates, personatus, officia aut beneficia qualiacumq; Ecclesiastica obtinuerint, si, postquam ab Episcopo suo, etiam per edictum Publicum moniti fuerint, honestum habitum clericalem, illorum Ordini, & dignitati congruentem, & iuxta ipsius Episcopi ordinationem, & mandatum non detulerint, per suspensionem ab ordinibus, ac officio, & beneficio, ac fructibus, redditibus, & prouentibus ipso-

rum

rum beneficiorum: necnon, si, semel, correpti, de-  
nuo in hoc deliquerint, etiam per priuationem  
officiorum, & beneficiorum huiusmodi coerceri  
possint, & debeant, iuxta Constitutionē Clemen-  
tis V. in Concilio Viennensi editam, quæ incipit,  
**Quoniam, innouando, & ampliando.** *Conc. Trident.*  
*Sejss. 14.c.6.*

**De eodem: ac de vnguentis.**

OMNIS iactantia, & ornatura corporalis à sa-  
crato Ordine aliena est. Eos ergo Episcopos, vel  
**Clericos**, qui se fulgidis, & claris vestibus ornant,  
emendari oportet. Quod si in hoc permanserint,  
*b* Epitimio tradantur: similiter & eos, qui vnguen-  
tis inunguntur, &c. A priscis enim vsq; tempori-  
bus omnis sacratus vir cum mediocri, & viliori ve-  
ste conuersabatur. Omne quippe, quod non pro-  
pter necessitatem suam, sed propter venustatem  
accipitur, elationis habet calumniam: quemad-  
modum magnus Basilius ait. Sed neque ex sericis  
texturis vestem quis variatam induebat, neq; ap-  
ponebat variorum colorum ornamenta in sum-  
mitate vestimentorum. Audierant enim ex Dei-  
*Mat. ii.* sona lingua: Qui mollibus vestiuntur, in domibus  
Regum sunt. *Septima Synod.* 21. q. 4. c. eod. iuxta ve-  
riorem literam. Iuo p. 5. c. 337.

*b* Epitimio] est Epitimium obiurgatio, aut repre-  
hensio: vt colligitur ex Modestino iurec. ff. de tutoribus.  
*E* cur. l. scire. §. 1. Quamuis aliter interpretetur Alcia-  
tus Parerg. l. 2. c. 29. Sed, quod ad nos facit, Epitimiu[st] est  
suspensio vnius septimane, vt not. à Doctoribus hic, iun-  
ctio

do cap. nullus eadem causa, 21. q. 4. licet in Septima  
Synodo Nicæna, unde sumptum est hoc decretum, pro  
Epitomio legatur, Supplicio.

De eodem: ac de armis non ferendis, ac  
de calciamentis.

NVLLVS Clericus sagum, aut vestimenta, aut 10  
calciamenta sacerdotalia, nisi quod religionem de-  
bet, induere præsumat. Quod si post hanc defini-  
tionem Clericus aut cum indecenti ueste, aut cum  
armis inuentus fuerit, à seniore ita coercentur, ut,  
triginta dierum inclusione detentus, aqua tan-  
tum & modico pane diebus singulis sustentetur.  
Conc. Matiscon. c. 3. dist. 23. c. Clerici. Sexta Synod. c. 27.  
In calciamentis ea ratio est habenda, ut videlicet quod  
quam minimum præferat curiositatis, minimoq; sum-  
ptu parari posse, & ad necessarium modo ritæ usum sit  
at. S. Basilius in reg. fus. interrog. 22.

### De eodem.

QVICVMQUE Clericus virgata, vel partita 11  
publice uestitur, (nisi causa rationabilis subsit) si be-  
neficiatus exiterit, per sex menses à perceptione  
fructuum beneficiorum, quæ obtinet, sit eo ipso  
suspensus, &c. de vita, & hon. Cler. Clem. 2.

Superfluitas exterior est index interioris  
vanitatis.

VANVM cor vanitatis notitiam ingerit corpori. 12  
Exterior enim superfluitas interioris vanitatis in-  
dicium est: Mollia indumenta animi mollitem  
indi-

indicant. Non tantum curaretur corporis cultus, nisi prius neglecta fuisset mens inulta virtutibus.  
*S.Bernard.in Apologia.*

**Ornatus & sordes pari modo fugiendæ  
quia alterum delicias, alterum gloriam  
redolet.**

**13 S.Hieron, ad Nepotianum.**

**Clericus nec comam nutritat', nec bar-  
bam: alioquin ab Archidiacono ton-  
dendus.**

**14 CLERICVS neq; comam nutritat, neq; barbam.**  
*Concil.Carthagin.de vita & hon.Cler. c. eod. Quod si  
comam nutrierint, aut barbam, etiam inuiti à suis  
Archidiaconis tondeantur. Alex.3, eo tt. c. Clericis  
Concil.Agath.dist.23.c.Clerici.*

### De eodem.

**15 NON oportet Clericos comam nutritire, & mi-  
Exo.22. nistrare; sed attonso capite, patentibus auribus, &  
secundum Aaron talarem vestem induere, ut sint  
in habitu ornato. Ex decreto Martini Bracharenſis,  
dist.23.c.pen.**

**De eodem: & quod desuper comam in  
modum sphæræ radant.**

**16 Prohibite fratres. vt sup.p.2.c.3. §.1.de ornatu,  
23. Vbi multa alia de hoc.**

**CAP.**